

P R Æ F A T I O  
M U N D I  
A D  
L E C T O R E M.



Uor, quantisque præclarissima Dominicanorum Familia ab incunabulis ferme suis in omni litterarum genere Viris floruerit, neminem arbitror tam imperitum rerum, qui ignoret. Cæli stellas, pene dixerim, facilius esset enumerare, quam quotquot in Dominicano hoc Cælo affulserit sidera, quæ toti Terrarum Orbi lumen haud exiguum effuderunt, recensere. Inter cæteros non mediocrevifus est lumen præferre excellentissimus ille nostri temporis Scriptor P. Jacobus Hyacinthus Serry, qui quanta eruditione enituerit, quo ingenii acuminis, quanta scribendi copia, vel ejus opera pervolventi facile est intelligere. At nescio, quonam ductus consilio, Vir cæteroqui eximius, omnes fere acerrimi ingenii conatus eo contulit, ut quam posset validissime, pias quasdam Ecclesiæ Traditiones, quas remotæ ætates constanti consensione amplexæ sunt, ab imis usque radicibus convelleret. Hinc passim ille, quæ de Bove, atque Afello ad Christi præsepe adstantibus, quæ de Magis Regibus, quæ de Virgine ad Templum Presentata, quæ de Deiparæ Parentum sterilitate, quæque alia hujusmodi feruntur, non improbat modo; sed *aniles Fabulas, vulgi Deliramenta, Nugas, Gervas, ineptas Superstitiones*, nescio, an sine aliqua Illustrium Scriptorum, & pietatis injuria audeat appellare. Quam igitur in hujus farinae scripta incidisset eximium illud Franciscanæ Familiæ decus atque ornamentum, MATTHÆUS BASILE, Panormitanus Archiepiscopus, haud æquo animo tantum Pietati vulnus infligi passus est: quamque pientissimus esset, *omnisque Religionis ac modestiæ Specimen*, ( hoc enim solebat appellari nomine a SS. Pontifice BENEDICTO XIII. ) quanta ille contentione pias hæc, constantisque Ecclesiæ Traditiones demoliri curaverat, tanto hic studio, quæ ratione, quæ auctoritate conatus est constabilire. Nec infelici fortasse, ut legenti cuique patet, eventu. Atque utinam, vel minoribus in Religiosa Familia distentus fuisset curis, in qua nunc altioribus disciplinis tradendis, nunc Neapolitanæ Provinciæ regendæ, nunc toti amplissimo Ordini moderando eum vacare oportuit; aut plus saltem nactus fuisset otii a frequentibus, quibus Romæ intererat, consulendi causa, tum Inquisitionis, tum Rituum, tum Indicis Congregationibus: aut plus denique ei subsecivi temporis suppetisset in amplissima Panormitana regenda Ecclesia, cui bene administrandæ non dies fere singulos, sed vel ipsa longa noctium spatia non raro impendebat; quot præstantissimi ingenii monumenta posteris reliquisset, quot Christianæ pietati addidisset robora, atque ornamenta! At tot inter & sui Ordinis, & Congregationum, & ornatissimæ Dioceseos gravissima negotia, aliquid etiam nactus est temporis, quo & Philosophicas, & Theologicas innumeras tum Critico-Dogmaticas, tum Critico-Historicas subtilissime pertractaret quæstiones. Ne igitur tanti Viri adeo litteris, & pietate conspicui, adeo bonis omnibus cari, & CAROLO præsertim REGI, quem omne fastissimo, sollemnique ritu in UTRIUSQUE SICILIÆ REGEM ipse inauguravit, ne tanti, inquam, Viri memoriam ulla unquam deleter oblivio, haud rati sunt quamplurimi, satis ejus immortalitati consultum Regio illo, Regiis impensis, Regiæque magnificentia ejus offibus exstructo in Cathedrali Panormitana Ecclesia monumento; quin potius, ut ex innumeris ejus lucubrationibus aliqua, qua in omnium oculis, atque animis perpetuo Auctor viveret, publici juris fieret, postulabant. At enimvero, quum nulla exstaret ejus Lucubratio absoluta, omnique ex parte perfecta, nullam plerique existimabant esse prælo committendam: veriti, ne qua excellenti ejus ingenio, si imperfectum quiddam prodiret, nota, ac labes inureretur; quemadmodum inultam esse aliquam dolebant, evulgatis importuno tempore dissertationibus illis *De Vindictis D. Petri*, quas inchoatas admodum, nec limæ redditas, nec incudi, unius benevolentia, gratique animi causa imprudenter quidam ejus Auditores statim ab illius obitu, Typis edidere. Verum Amicorum precibus, & Principum Virorum hortationibus obsequendum fuit aliqua saltem ex parte. Itaque factum est, ut has tandem Dissertationes, tamquam opus quoddam, si minus absolutum, Auctori suo saltem magis carum, in publicam prodire lucem, pateremur. Si quid interim hic tibi, Lector, occurreret non proflus injucundum, Auctoris sollicitiam, pietatemque lauda; sin vero in aliquid non satis purgatum, expolitumque incidis, Opus hoc posthumum esse memineris, in quo pleraque fortasse sint, quæ si per tempus licuisset, ipsi Auctori in animo erat immutare, uti & aliis Dissertationibus deinceps, ut apparet, consequuturis ornare, & communire. Denique nec Tibi rem ingratham me arbitror facturum, si illius monumento insculptam Regio jussu Epigraphen hic adscribam.

D. O. M.

FRATER. D. MATTHÆVS, BASILIVS

EX. MINORVM. OBSERVANTIVM. MINISTRO. GENERALI

ARCHIEPISCOVVS. PANORMITANVS

SACRI. FORI. IVRIBVS. VIRILITER. ADSERTIS

PONTIFICIIS. ÆDIBVS. ELEGANTISSIME. EXORNATIS

METROPOLITANAE. ECCLESIAE. CAPITVLO

THEOLOGALI. AC. POENITENTIARIO. CANONICIS. ADAVCTO

EIVSDEM. CLERO. DECENTIVS. INSIGNITO

CAROLO. III. BORBONIO. SICILIAE. REGE

INAUGVRATO

COEPTIS. MAIORIBVS. QVAE. CONSTITVERAT. VIXIT

VIRTVTI. MAIORIBVS. OMNIVMQVE. DESIDERIO. VIVIT

IACENT. HEIC

TAM. MAGNAE. ANIMAE. BREVES. EXVVIAE

INGENTIS. LVCTVS. EXIGVVM. SOLATIVM

QVIBVS

CAROLI. MVNIFICENTIA

HOG. REGIAE. AESTIMATIONIS. MONVMENTVM

POSVIT.

ANNO. DOMINI. MDCCXXXVI.